

## Fest. 508L Voisgram<sup>\*)</sup>

In S. Pompei Festi libro de significato uerborum in pagina 508L (371M) scriptum sic est:

†Voisgram† auem quae se uellit augures \*\*\* eandem fucillantem appellant \*\*\*

Praeterquam quod aliqua hic desiderantur, iam lemma ipsum corruptum est, tale enim uerbum, quale in principio uidemus, neque ullum exstat neque existere potest. Tamen ex iis, quae supersunt: *auem, quae se uellit*, corrupti uerbi radicem a *uellendo* profectam esse apparet. Cuius uerbi tempus perfectum potest esse et *uelli* et *uolsi* et *uulsi*, supinum autem *uolsum* uel *uulsum*. Non ergo *uois-*, sed *uols-* hic legi debere manifestum est. Cum id quod hac commentatione oritur, ‘uolsgram’, sensum praebet etiam nullum, iam tamen facile unius litterae delicto liberatur: augures *auem, quae se uellit* nec ‘uoisgram’ nec ‘uolsgram’ appellant, sed VOLSERAM.

Licet tale uocabulum nullo alio loco inueniatur in litteris, exstat tamen *uolsella*, quam multi scriptores testantur, et quod plane est ab ea restituta *uolsera* deminutum paruumque significat forcipem. Qui autem eius fuerit usus, Martialis docet epigrammatum nono (Mart. *Ep.* 9.27.5): *purgentque saeuae cana labra uolsellae*. Non ergo mirum, si augures auem, quae sese ipsa uellit, uolseram, hoc est tamquam forcipem seu uolsellam grandem, appellauerunt, usi forma paulo antiquiore et grauiore eius uocabuli, quod instrumentum ad pilos e corpore tollendos uolgo significabat.

Erroris eius, ubi L et I litterae altera alterius loco sine discrimine ponuntur, exempla sunt in codicibus paene innumera. E litteram cum G confundere, ut e *uolsera uolsgra* fiat, primo quidem obtutu difficilius uidetur, atque re uera uno motu confundi uix possunt, nam duobus est opus: *uolseram* > *uolsgram*, qui error communis est, postea autem *uolsgram* pro *uolsgram* iam pariter facile ponitur.

*draco@obta.uw.edu.pl*

Konrad M. Kokoszkiewicz

Received: February 2008; accepted: March 2008

<sup>\*)</sup> In hoc opusculo multum me adiuuit prof. Mikołaj Szymański, cui ingentes debeo gratias, nam sine eius consilio salutari commentariolus, quem ante oculos habes, in lucem editus non esset.